

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3338

Genre d'acte : autre

Authenticité : non suspect

Datation : ...1208...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Enquête sur les droits du bailli d'Arques.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 167, p. 27.

Dissertation critique

Datation proposée par L. Delisle.

Texte établi d'après a

Inquisitio Johannis de Roboreto de balliva Archiarum.

Quando Rex Philippus conquisivit Normanniam tradidit ballivam Archiarum Johanni de Roboreto et precepit ei ut terram illius ballive tractaret, sicuti tractata fuerat quando ad manum suam pervenit. Idem autem Johannes inquisivit de hoc cum Johanne de Pratellis, Guillelmo Martell, Cambellano Tancarville, Richardo de Willequier, W. de Buesevilla et pluribus aliis qui terram illam tenerant. Johannes de Roboreto posuit servientes domini Regis apud Deppam ; et ibi cepit Rogerum de Mortuo Mari, de quo rex habuit M marcas et de quodam suo milite L marcas et de nave que eum apportavit XXXV marcas, et Guillelmus de Wisca qui eum adduxerat abfugit, et Johannes de Roboreto cepit uxorem illius et redemit eam IIc libras, quas rex habuit Philippus. Postea fecit cerchari quamdam navem in qua habebant illi de Chambliaico XXX tam loricas quam loriculas et cooperturas ferri, et hoc fecit portari in garnisione Archiarum. Postea fecit capi quendam piscatorem qui piscabatur in aqua Deppe, que tota est Regis usque ad mare. Burgenses Deppe rescusserunt eum servientibus dicti Johannis, qui fecit appellari per vadia duelli XXIII burgenses Deppe de ditioribus, et quia noluerunt se justiciare per eundem Johannem, fecit poni bonos custodes ad puteum Deppe, ita quod aquam recentem habere non poterant, et tantum eos distrinxit quod burgenses fecerunt regi emendam IIIc librarum, quas habuit pro emenda. Quando archiepiscopus Galterus mortuus est, dictus Johannes tenuit regalia in manu domini Regis et fecit eum habere de burgensibus Deppe IIIc libras, et hoc modo tenuit terram idem Johannes quamdiu eam custodivit sine clamore archiepiscopi vel capituli.